

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1998

Auteur(s) : Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Longueville-sur-Scie, Sainte-Foy (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1202

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Gautier, archevêque de Rouen, confirme les biens du prieuré de Longueville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Chartes du prieuré de Longueville, de l'ordre de Cluny, au diocèse de Rouen, antérieures à 1204*, Rouen-Paris, Société de l'histoire de la Normandie, 1934, n° XCI, p. 97-103.

Texte établi d'après a

Universis sancte matris ecclesie filiis ad quos presens scriptum pervenerit W. dei gratia Rothomagensis archiepiscopus salutem in domino. Ad nostram spectat sollicitudinem et officio compellimur pastorali viros religiosos pietatis visceribus fovere, diligere, conservare eorumque justis petitionibus assensum facilem non negare. Nos igitur dilectorum in Christo filiorum Henrici, prioris ecclesie Sancte Fidis de Longavilla et monachorum ibidem deo sub regula sancti Benedicti servientium justis postulacionibus annuentes, ipsos et omnia eisdem pertinentia, ecclesias, decimas, domos, terras, redditus sub nostra protectione suscipimus et locum ipsum cum bonis omnibus que in presenciarum possident aut in futuro divina cooperante gratia poterunt adipisci presentis scripti patrocinio communimus, confirmationes etiam et donationes predecessorum nostrorum pie memorie Hugonis et Rotrodi Rothomagensium archiepiscoporum et nostras necnon [????] eis elemosinas aliquas, alicubi sub potestate nostra pietatis intuitu contulerunt memoratis monachis, sigilli nostri munimine roboramus. Inter que hec propriis nominibus dignum duximus exprimenda: Ecclesiam [Sancte Fidis de] Longavilla ; Ecclesiam Sancti Petri de eadem villa cum omnibus pertinenciis confirmamus ; Ecclesiam Sancte Fidis de Bosco cum omnibus pertinenciis ; Ecclesiam Sancti Petri de Bosco Wielin cum omnibus pertinenciis ; Ecclesiam Sancti Petri de Appegard cum omnibus pertinenciis ; Ecclesiam Sancti Medardi de Belnaio cum omnibus pertinenciis ; Ecclesiam Sancte Genovefe cum omnibus pertinenciis ; Ecclesiam Sancti Egidii de Ouvilla cum omnibus pertinenciis ; Ecclesiam Sancti Martini de Blosmeinil cum omnibus pertinenciis ; Ecclesiam de Nova villa juxta Depam cum omnibus pertinenciis ; Ecclesiam Sancti Audoeni de Wlfranvilla cum omnibus pertinenciis suis in omni libertate et integritate in usus proprios in perpetuum possidendam, salva in eadem ecclesia vicaria octo librarum et unius modii bladi tantummodo, quam vicariam capellanus in eadem ecclesia ad presentacionem monachorum institutus percipiet annuatim ; idem vero capellanus de portione sua episcopalia jura solvet. Confirmamus etiam eisdem monachis capellam Sancti Georgii de Colemaisnil cum omnibus pertinentiis ; Ecclesiam Sancte Marie de Herbervilla cum omnibus pertinenciis ; omnes decimas de brueriis et essartis de Guncevilla, que eisdem monachis in curia Rothomagensi nobis presentibus adjudicate fuerunt ; Ecclesiam Sancti Vedasti de Oskevilla cum omnibus pertinenciis ; Ecclesiam Sancti Martini de Angens cum pertinenciis ; Ecclesiam Sancti Nicolai de Lodoro cum pertinenciis ; Capellam in eadem parrochia supra mare constructam cum omnibus pertinenciis ;

Ecclesiam Sancti Mauricii de Parva villa cum omnibus pertinentiis ; Ecclesiam Sancti Germani de Magna ecclesia cum omnibus pertinentiis et terram elemosine ad eandem ecclesiam pertinentem ; Ecclesiam Sancte Marie de Ansketivilla cum omnibus pertinentiis ; Ecclesiam Sancti Jovini supra mare cum omnibus pertinentiis suis in usus proprios in omni libertate et integritate in perpetuum possidendam, salva vicaria viginti librarum andegavensis monete tantummodo, quam vicariam capellanus in eadem ecclesia ad presentationem monachorum institutus de altalagio percipiet annuatim, et idem capellanus de porcione sua pontificalia jura solvet ; hanc ecclesiam Sancti Jovini concesserunt ecclesie Sancte Fidis et predictis monachis Radulfus de Trublevilla et Ales uxor ejus, et post Radulfum Willelmus de Trublevilla, filius ejus, et cum Willelmo Istenus et Hurtandus filii ejus, nichil omnino in eadem ecclesia retinentes ; Ecclesiam Sancte Marie de Croisi cum omnibus pertinentiis ; Ecclesiam Sancti Petri de Valle cum omnibus pertinentiis ; Ecclesiam Sancte Marie de Bellomonte juxta Estrepenni cum omnibus pertinentiis ; Ecclesiam Sancti Martini de Parva Prata cum pertinentiis ; Ecclesiam Sancti Johannis de Bosco Rohardi cum omnibus pertinentiis in omni integritate et libertate in usus proprios in perpetuum possidendam ; illa vero porcio quam Philippus clericus tenet post mortem Philippi tota cedit in usus monachorum ; sic autem eisdem monachis venerabilis archiepiscopus Hugo [????] suo autentico roboravit, vicariam vero videlicet tertiam partem altalgii et unum modium bladi in grancia monachorum et decimas terrarum elemosine tantummodo capellanus in eadem ecclesia ad presen[tacionem] monachorum institutus percipiet annuatim ; idem autem capellanus episcopalia jura de sua solvet porcione ; Capellam de Bernarmainsnil cum pertinentiis ; in ecclesia de Longolio portionem illam integre quam Adam clericus habuit, ad quam portionem ad presentationem eorundem monachorum Rogerum capellanum Willelmi Marescalli recepimus ; volumus autem quod dicti monachi post decessum Rogeri illam habeant portionem, salva tamen capellano competenti vicaria ; Capellam Sancti Remigii de Halierimonte cum pertinentiis ; Ecclesiam Sancti Dionisii de Meisnillo Roheri cum pertinentiis ; Hospitale pauperum de Longavilla cum omnibus pertinentiis sicut comes Giffardus eis sigilli sui munimine confirmavit ; Ecclesiam de Wadrevilla cum pertinentiis ; Ecclesiam Sancti Petri de Cantelu cum pertinentiis ; Decimas de Engleskevilla Lablalum de toto feodo de Saukevilla ; Decimas rusticorum de Hotot ; apud Sanctum Crispinum decimas de tota terra Joscelini de Criolio ; Decimas de Spineto de toto feodo Walteri Giffardi ; Decimas de Gorrello de omnibus terris Antelmi et Willelmi Caletensis ; Decimam de tota terra Gilleberti de Hotot apud Hermanvillam ; apud Sanctum Audoenum super Elnam decimas de toto feodo ejusdem Gilleberti de Hotot et de feodo Antelmi de Riboh ; apud Gerbevillam decimas de toto feodo Walteri de Cantelu ; apud Tilium et apud Dodelinivillam omnes decimas de terris vavassorum et rusticorum Helye Haket et Willelmi filii ejusdem ; Decimas de bosco de Geutevilla ; Decimas de Bordinvilla de feodo Wimeri ; apud Depam omnes redditus quos ibi habent ut eosdem redditus in perpetuum possideant, videlicet masuram Tallefer, masuram Walteri Anglici ; ex dono Rogeri Vituli quinque solidos quos Robertus de Longavilla reddet annuatim et post Robertum heredes ipsius ; idem vero Robertus, pro salute anime sue et antecessorum suorum et pro salute anime uxoris sue decem solidos andegavensium in Depa contulit monachis jamdictis annuatim ; Walterus de Torci quinque solidos annuatim ; Walterus de Beusaut decem solidos andegavensium apud Depam ; ex dono Willelmi filii Achardi quatuor solidos andegavensium. Has omnes prenomatas ecclesias, decimas, terras, redditus, in nomine sancte et individue trinitatis monachis in omni integritate et libertate in perpetuum confirmamus. Paci autem et quieti eorum in posterum providentes et perversorum hominum callumpnias ab eis omnimodis abmoventes, concedimus et volumus ut ecclesiarum omnium supradictarum absque aliqua contradictione et objectione liberas concessionem et presentationem habeant et rerum omnium suarum sive terrarum seu elemosinarum vel etiam decimarum canonice disponendarum liberam habeant facultatem, salvo in omnibus jure pontificali. Quicumque vero apud eos propriam elegerit sepulturam, clericus, miles aut laicus cujuslibet sexus, nisi excommunicatus fuerit publice, eam habeat sine contradictione, salvo tamen jure parrochiali. Cunctis igitur ecclesie Beate Fidis de Longavilla Giffardi et monachis ibidem deo servientibus honorem et reverenciam seu aliquod beneficium conferentibus sit pax domini nostri Jesu Christi et vita in eternum. Amen. Quicumque enim eorundem bona monachorum, ecclesias, possessiones, terras, domos, loca, predia, redditus, consuetudines, libertates, homines seu ipsos monachos quibuslibet molestiis vel machinamentis injuste presumpserit perturbare, minuere vel auferre et contra hoc decretum meum et confirmationem pietatis intuitu factam dictos monachos fatigare, iram et indignationem omnipotentis dei se noverit incursum et nos illum excommunicationi decernimus subjacere, donec temeritatem suam et presumptionem videatur deo et monachis satisfactione plenaria emendasse. Actum est hoc privilegium nostrum anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo secundo, Philippo rege Francorum, Johanne rege Anglorum regnantibus. Hiis testibus Ricardo de Malapalude, tunc decano Rothomagensi, Willelmo et Philippo archidiaconis, Drocone de Trublevilla, Nicolao de Malapalude, Rogero de Malapalude, Luca de Ponteodomari, canonicis ; Willelmo Marescallo, comite de Pembrok

Johanne Marescallo, Johanne de Erleia, Willelmo de Trublevilla, Luca fratre suo, Gilleberto de Walemonte, magistro Andrea de Alfagio, Philippo de Dunestanvilla, Ricardo fratre suo, Willelmo de Herecurt, Martino de Herecurt, Willelmo Sartre, Roberto Russel, Waltero, Johanne, famulis prioris.